

## IV

mutationes per aliquot annos sustinere, antequam perfe-  
tiorem sanitatem, prouectiori aetati propriam, consequi  
possimus. Quae quidem incommoda pro diuersitate in-  
fantum et ipsa diuersa sunt, ita vt in aliis grauiores et diu-  
turniores, in aliis autem mitiores et breuiores effectus  
edant, prout nempe illi vel debiles vel robusti esse solent.  
Interim tamen cum ea aetate non omnes ac singulae actio-  
nes rite procedant, sed vna et item altera laesa deprehen-  
datur, semper idea morbi locum ibi habet.

Delineatae sunt, vti neminem, rei physiologicae pe-  
ritum, latet, in foetu omnes corporis partes, euoluuntur  
iam quaedam, dum ille adhuc in utero geritur, nutriantur  
statim a partu, per aliquot annorum seriem crescunt  
et perficiuntur, quaedam vero plane immutantur, aliam  
indolem induunt, maiorem firmitatem accipiunt, usque-  
dam ad illum gradum accesserint, quo nullas eiusmodi  
mutationes ulterius subire possint. Ut alia huius rei exem-  
pla nunc mittamus, luculentum testimonium dentes praef-  
beant, qui non cum foetu, saltem rarissime<sup>a)</sup> connascuntur.  
Differunt illi, in foetu delineati et plane discrepant a reli-  
quis partibus ossibus, quibus ratione indolis suae deinde  
similes sunt. Massa enim pultacea, mollis, caseosa, vti  
vulgo dicitur, quae, soluta in aqua, in liquorem mucilagi-  
neum abit, in cauis maxillarum interioribus reperitur,  
quae sensim indurata erumpit, adeo vt dentes instar clav-  
orum in loculis utriusque maxillae per gomphos firmi-  
ter insigantur et per gingiuas externe fermentur. Ac  
per internum quidem alueolorum periosteum arctissime  
cohæ-

a) Reperiuntur quidem exempla hominum, in quibus dentes, cum  
adhuc in utero essent, apparuerunt, sed ea sunt admodum rara.  
Sic Ludouicum XIV. Galliae Regem cum duobus dentibus inci-  
foriis natum esse, memoriae proditum est.